

In Honorem Benedicti Seminis

COLLEGII ORATORII
DISPUTATIO III.

SPONSALIBUS, NUPTIALIBUS

ac Funebribus Orationibus:

Quam

Sub umbone Altissimi,

ad diem 9. Julij. Anni Salvatoris

M. DC. LVI.

in Illustri ad Albim Academia,

PRÆSIDE

M. JOHANNES HERBINIO,

publicæ Eruditorum Acquisitioni
fistit,

RESPONDENS

ZACHARIAS RÖHNER

Olsnâ-Silesius

in Auditorio minori, horis matutinis.

WITTEBERGÆ

Literis exscribebat JOHANNES RÖHNERUS, Academ. Typogr.



387327

VIRIS
Amplissimis, Consultissimis, Doctissimis, Prudentissimisq;
 DOMINIS
 CONSULI
 ATQUE SENATORIBUS IL-
 LUSTRIS CIVITATIS OLSNENSIS,
 DIGNISSIMIS,

Patronis, Fautoribus atque Promotoribus
 suis tempore omni suspiciendis.

Disputationem hanc Philosophicam



*observanter & officiosè
 offert*



Zacharias Kohleder Olsn. Sib.
 Resp.



In Honorem Benedicti Seminis.

Prooemium.

DEmonstrativi Generis Sponsales, Nu-
 ptiales & Funebres sunt Orationes.
 Quarum usus uti quotidianus & ferè
 non ubiq; est: ita solemniter, & non sine honoris
 incremento, dicuntur. At non à quovis præclare
 dici volunt. Nobiles, doctas aliasq; egregias ac
 honoratas sibi poscunt personas. Impetranda in
 Sponsam & uxorem filia est? Orator mittitur,
 Ducenda, tradenda, salutanda? Idem adhibetur.
 Et literarum quidem Sapientiæq; studiosi ACA-
 DEMICI, postquam ad patrios rediére lares, ad
 partes istas soli fermè deposcuntur: quia solos
 eruditos ac eloquentiæ Academicæ donis instru-
 ctissimos esse, multumq; ad nuptiarum solemnita-
 tatem conferre posse, per valum vulgo est.
 Quemadmodum autem Cajo suam Cajam ora-
 tione festivâ conciliamus inq; thalamo apponi-
 mus: ita, postquam alterutri tori socium vi-
 tamq; resignare contigerit, inluctum compositi
 naniâ prosequimur, alteriq; toro mandamus.

A 2

Quo:

Quorum omnium rationes Commilitones nostri Academici utinam, & probè inirent; utiq; de comparanda sibi eloquentiæ supellectili & facultate maturò dispicerent, prospicerentq;. Nos jam, Deo Præceptoribusq; votis nostris subscribentibus, quid in rem Sponsalium, Nuptialium Funebriumq; & Orationum & Oratorum faciat, hocce experiemur exercitio.

SECTIO I.

De Orat. SPONSALIBVS.

Sponsalis Oratio est laudativa oratio, quâ filia à parentibus, vel ejusdem patronis, in uxorem desponsanda privatim deposcitur.

§. 1. Ante omnia excutiendum erit *Definitum*. Dicitur autem Sponsalis Oratio *α.* vel à filia in sponsam petitione. Vel *β.* à spondendis uxoribus. Namq;, Servio Sulpitio, apud Gell. 1.4.c.4. exponente, *qui uxorem ducturus erat; ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur eam in matrimonium ductum iri. Qui daturus erat, itidem spondebat. Is contractus stipulationum sponsionumq;, dicebatur SPONSALIA.* Ab eò tempore quæ promissa erat, Sponsa: qui sponderat ducturum se, Sponsus appellabantur. Hanc etymologiam Jus quoq; Civile approbat, quando post Sponsaliorum definitionem datam *l. 1. t. 1. ff. de sponsalibus* (*Sponsalia sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum*) addit rationem: *Moris enim fuit veteribus stipulari, sibiq; futuras uxores spondere.* l.2. & 3. ff. & tit. eod. Immò à mundo fere condito, Gen. 24. & 29. Tob. 7:15.16. Pater quoq; ille lepòrum Plautus antiquam Sponsaliorum formulam nobis consignavit in Pœulo, Act. V. Scen. 3.

Agor.

Agor. *Audi tu Patruæ dico, ne dictum neiges:*

Tuam mihi majorem filiam despondeas.

Pœn. *Patram rem habeto.* Ag. *Spondeſne igitur? P. Spondeo.*

Ag. *Mi patruæ salve: nam nunc es planè meus.*

Item in Trinunimo, Act. V. sc. 2.

CH. *Deos volo consilia vestra rectè vortere.*

Filiam meam tibi desponsatam esse audio. Ly. *nisi tu nevis.*

CH. *Imò haud nolo.* Ly. *sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi.*

CH. *Spondeo, & mille auri Philippum dotis.* Ly. *dotem nihil moror.*

CA. *Si illa tibi placet, placenda dos quoq; est, quam dat tibi.*

CH. *Postremò quod vi non duces, nisi illud quod nō vis feres.*

CA. *Jus hic orat.* Ly. *impetrabit te advocato atq; arbitro.*

Istac lege filiam tuam sponden' mihi uxorem dari?

CH. *Spondeo.* CA. *& ego spondeo idem hoc.* Ly. *à salвете affines mei.*

γ. A supino, *Sponsum*, proximè descendit, *sponso*, as: indeq; *Sponsus*, *Sponsa*, *Sponsalia* & *Sponsalis* nostra Oratio.

§. 2. Ut eo melius ab æquivocatione Nostram Sponsalem liberemus; dicimus: aliam esse Orationem Sponsalem & aliam Nuptialem. Confundenda hæc minimè sunt. *Sponsalis* est, qua petitur virgo aut alterius ordinis foemina desponsanda. Germanis dicitur *Brautwerbung*. Gallis, demande, recherche. Orator Græcis, *ωρεζηντης*, à *ωρεζένω*, *Brautwerber*. Gallis, celui qui recherche, pourchasse & demande quelque femme en mariage. Et, quemadmodum nuptiæ non sunt sponsalia: ita aliud erit Sponsalem, aliud nuptialem habere Orationem. Accedit, quod in Sponsali Orat. petamus, ut filia nobis decernatur in Sponsam; in Nuptiali verò, ut Sponsa jam facta nobis tradatur, de qua, sect. 2. pluribus agemus.

§. 3. Definitionis seu Descriptionis *Genus remotum*, est Oratio: proximum seu proximè genus determinans laudativa: quia per laudes, cui filia desponsetur, dignus pronuntiatur proculus, de quo infra in quæst. *Differentiam* constituunt, 1. *filia desponsanda petitio*: quo sponsandi modo differt, α. ab omnigena pro-

promissione & stipulatione, vid. *Juris Civilis* l. 7. § 19 ff. de verbor. signif. β. Ab antiquorum sponsionibus hodiernisq; stipulationibus, quæ in lite appendicula (ut Jcti loqui amant) fiebant, Erat autem sponsio ista gen9 stipulationis, quâ uti solebant post interdicta, cum lis quædam incidisset: fiebatq; interpositâ stipulatione certæ pecuniæ, quam perderet, qui sponsione vinceretur. Græcis erat decima pars rei controversæ in causis privatis; in publicis verò quinta. Verbo: intelligitur sponsio, pignorum concertatio, ni ita se res habeat, sicuti pignus deponens affirmat, Ulpianus l. 17. §. 5. ff. de præscript. Verbis. Plures vocis hujus addere significationes nostrum jam non est. 2. Vox, *privatim*. Etenim aliquot saltem, iisq; paucis admodum, amicis parentibusq; præsentibus instituitur. Immo privata adeò Oratio Sponsalis est, ut per nuntium vel epistolam peragi possit. Eâ quoq; de causâ dissolvi sponsalia possunt, l. 10. tit. 1. ff. de Sponsal. quia nondum iis, solemnis & publica intercescit comprobatio atq; autoritas.

§. 4. Quemadmodum autem ex causarum positione clarior surgit cognitio: ita Sponsales quoq; Nostræ in causis consideratæ melius patebunt. *Externa* sunt 1. *Efficiens* seu subiectum Orationis hujus, petens filiam Orator, & *respondentes* ei parentes aut tutores. Estq; pro Gentis ratione, vel *immediata*, quando ipsemet procus Proxenetæ sibi ipsi est Tob. 7: 10. Hoc autem rarò, & vix alibi, in usu est. Vel *Mediata* quando ea fit aut per Oratorem huic negotio deputatum, aut per Epistolam. Receptissimum quippe jam est, *absentibus abientem desponsari posse* leg. 18. ff. de Spons. Sed Principibus viris familiarissimum, hoc semper præcipuumq; fuit, Gen. 24. & cap. 29: 18. 19. 1. Sam. 25: 39. Illustris Gramond. Histor. Gall. lib. 2. & 13.

§. 5. Finis α. Cujus gratiâ oratio sponsalis dicitur, est Virginis in matrimonium impetratio ac desponsatio. Seu est ipsa Caja, quæ expetitur. β. *Cajus* verò vel Sempronius est, Cui sponsa impetratur & acquiritur.

§. 6. Internæ Orationis hujus causæ sunt 1. *Materia* est quæ cum finalibus causis coincidit. Sunt item res & argumenta ad

ad amicitia atq; filia impetrationem facientia, quæ vidè in Rhadau Orat. Extemp.

§. 7. *Formam* spectabimus 1. *ex parte petentis Oratoris*. Est autem elegans, nervosa totaq; ad Parentum vel Curatorum, expugnandos animos eorumq; obtinendum assensum comparata Orationis concinnatio seu Dispositio. Daremus hic unam atq; alteram, si exercitii ratio id admitteret. Habet earundem dives apparatusissimumq; penu Jesuita clarissimus RADAV, in suo jam toties laudato Oratore Ext. quem adire atq; imitari neminem poenitebit. Nihilominus operæ existimamus pretium, aliquas veterum Sponsaliorum Orationes formulasq; huc adducere; *Primo* quidem, elegantem illam Eleasari, servi Abrahami & pro Isaaco in Mesopotamia Oratoris, in SS. literis, Gen. 24. descriptam orationem. Item illam Tobia & Raphaëlis, Tob. 7: 10. 12. Deinde populorum Septentrionalium, Gothorum ac Sveonum, desponsandi modum atq; Orationem Responsoriam describit Olaus Magnus, Histor. Septentr. l. 24. c. 5. hocce modo: *Do tibi* (inquit filia Pater) *meam filiam ad honorem & uxorem, ad medium lectum, ad januas & claves, & ad omnem tertiam pecuniam possidendam in mobilibus bonis ac immobilibus, & ad omnino jus, quod superior Suecia à S. Erico habet, & ipse S. Ericus dedit: In nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, Amen.* 2. Ex parte *Respondentium* Parentum vel filia Patronorum forma est, aut petiti promissio, desponsatio, dilatio, aut negatio. Promissivæ Orationis exemplum dant nobis Laban & Bathuel, Gen. 24: 50. 51. *A Domino istud factum est, &c. En tibi Rebeccam, accipe, &c.* Desponsativæ Abigail 1. Sam. 25: 41. *Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum Domini mei.* Item Olaus M. l. cit. *Dilatativa* Raguel & Anna, Tob. 7: 11. *Negativæ*, Rex Saul 1. Sam. 18: 19. promissam Davidi natu majorem filiam Merobam denegans, aliq; eam tradens.

SECTIO II.

DE NUPTIALIBVS.

Nuptialis Oratio est laudativa oratio, qua α. Sponsum, Sponsam & Hospites, β. in publi-

publica nuptiarum solemnitate, prosequimur.

§. 1. Nuptialis Oratio denominatur à subjecta Nuptiarum materia : quæ sunt ceremoniæ festivitatesq; in ducendis uxori- bus usitatae. Dicuntur Festo & Isidoro à *nubendo* : Varroni, à *nuptu*, melius. Quippe moris olim erat apud Orientales, Spar- tanos aliosq; populos, puellas, cum domum ducerentur, pudoris gratiâ vel totam vel dimidiam faciem tegere flammeo (ait Ovid. l. 4. Fastor. & Plinius,) coloris lutei : ut suam ritu isto con- testarentur verecundiam. Coloris lutei causam dat Festus l. 1. cap. 6. *Flammeo*, inquit, *amicitur nubens boni ominis causa: quod assidue eo uteretur Flamini uxor, cui non licebat divortium facere.* Exinde non Cicero tantum, in Orat. pro Cluent. *nuptias plenas dignitatis, plenas concordiae ac pudoris*, ait : sed maxime Spiritus S. docet : *τιμὴν ὁ γάμος ἐν παντί, καὶ ὁ νόμος ἀμύσσει*, Heb. 13. 4. Olaus Magnus l. 4. hist. Sept. cap. 7. Lapponum honorabile conjugium laudat, h. m. *Sed pro tanto Sponsus miris laudibus prosequendus est cum sponsa sua, imò totâ gente illa, quod non vagâ libidine, sed honorabili matrimonio, tantis celebratibus, sese permittunt jungendos.* Hodie Turcæ nefas ducunt, uxorem in pu- blico apertâ facie conspici, *Busbeqv. in Epist. Camer. cent. 1. c. 33.* Inde Jus Canonicum Sacri exempli maiestatem in Rebec- ca, faciem suam (Gen. 24. 65.) simul ac obviam sibi venientem Sponsum Isaacum conspexisset, obnubente venerans, statuit ut recens nuptæ velo tegerentur, *cap. femina 3. quest. 5. & cap. mu- lier 33. quest. 5.* Qui velandi seq; publico subtrahendi mos foemi- nis moralis & ex consuetudine est; & partim à pudore naturali, partim moribus Gentium provenit, sicuti neq; publicis mune- ribus admoventur foeminae, *leg. 12. cum prator. ff. de judicijs.* Sed de his *ὡς ἐν παραβολῇ.*

§. 2. Ambiguitatem omnem Nuptialis Orationis tollit ejus descriptio, quod ea in nuptiarum solemnitate ceremonijsq; habeatur. Quâ ratione à Sponsalibus admodum differt. Dicitur alias, votiva acclamatio, Hymenæus, congratulatio, & in genere Epithalamium. Christianè autem etiam dicitur *Hymnus*, qui juxta

juxta Chrysostomum est *Θείον πρὸς πᾶν γυναικα*, & dicitur seu cani- tur in Ecclesia ad gloriâ Dei, teste Menandro Rhetore, in lib. de Gen. Demonstrativo, *ὅστις ὁδὸν εἰς θεόν.* Quanquam laxius vox ista abusiveq; à Poëtis sumatur : ut cum Athenæus l. 4. epi- thalamium vocat, *γαμικὸν ὕμνον.* *Psalms* item, qui cum divinis moralia quodq; multa continet, ut est Psal. 128. Deniq; *oda* seu carmen votivum ex arte factum : dictum vel scriptum.

§. 3. Sunt autem quinque ejus species. 1. *Hospitum* ad cere- monias nuptiales *Invitoria* : de quâ parum hîc quidem esse so- liciti deberemus, cum ejus negotium non nobis, sed ordinario Invitori committatur. Nihilominus & istius tenenda probè ratio est : siquidem nobilioris aliquando Ordinis personæ invi- tandæ sunt. Illas autem nemo per vulgarem emissarium invita- verit. Ergo aut ex more, eas ipsimet immediatè appellabimus; aut mediatè per alios, eosq; honoratos & doctos viros. Horum igitur, expeditè ac stylo deterso dicere, intererit. Etenim plebe- jorum rudis illa invitandi formula (*Salvere te officiose Sponsus & Sponsa jubent, rogantq; ut tua praesentia ipsorum nuptias ornare, teq; ad diem. hora. sistere velis*) Illustrium amplissimorumq; vi- rorum magnificentiae haud sufficit, nec quicquam impetrat.

§. 4. *Petitoria Sponsa* est, quâ parentes & consanguineos, in ipso Nuptiarum exordio, ad tradendum sibi Sponsam ad sa- cram copulam, solenniter rogamus. Mos iste Polonis & Sile- siis receptus est. Dicitur alias *traditoria*, à tradendo : quia pe- timus, ut Sponsa tradatur, tradendoq; eam nobis respondetur. Exempli loco, brevissimam quidem, sed nervosam Orationem, traditoriam ex *Rbadau, Orat. Extrem. part. 2. c. 2. q. 3.* appendere hic lubet. Ita autem ibi Episcopus Wilnensis, à Rege Sigismun- do III. Sponsam ex Regina Gynæceo, nomine Leonoram, cui- dam Magnat: tradere jussum, dicit: *Hæc est illa LEONORA, Illu- strissime Domine. Tu illam in conjugem accipe, ama & honora. Dixi.* Plures tales apud eundem exstant, quò Lectorem remittimus.

§. 5. *Salutatoria* est, quâ Sponsum vel Sponsam advenien- tes excipimus, ipsisq; recens partam felicitatem atq; dignitatem gratulamur. Et hanc orationem vel Orator destinatus, aut no- mine Sponsi ad Sponsam; aut nomine Hospitum invitatorum

ad utrosq; ; vel quivis hospitum per & pro se salutat & gratulatur. Breviores autem, propter instantes ceremonias, esse solent.

§. 6. *Munerum oblatoria* est, quâ in exhibitione muneris Sponsum vel Sponsam alloquimur. Habet earundem plurima specimina *Rhadau, l. d.* Ubi hocce observandum, quod talis Orationis materia esse acuta debeat. Acuta autem erit, si à muneris, quod offers, naturâ, affectionibus, dotibus & effectis Orationiuncula deprompta fuerint argumenta. Et habet hæc oratio non in Nuptiis tantum, sed & in conviviis genethliacis, appreciatione felicitatis Natalium, Novi Anni, nec non in Legationibus obeundis : de quibus sequenti Disputatione, Deo annuente, acturi sumus.

§. 7. *Epithalamica* est, quâ novos conjuges in vel ad thalamum prosequimur. Fiunt autem votivæ istæ prosecutiones à parentibus præcipuisq; tantum ex consanguinitate privatim. Splendidè alias orationes seu vota ista apud quasdam nationes, sed diversimodè, instituuntur. Namq; commisationes thalamum præmittuntur, poculis coronatis atq; epotis amici conjugibus novis felicitatem, concordiam, perennitatem congratulantur &c. Donec tempore monente, Oratio parentum ac consanguineorum nomine dicitur, quâ Sponsa Sponso iterum traditur, plenumq; jus in Sponsum transfunditur. Deinde alterâ Sponsi, gratias pro Sponsâ agentis, nomine respondetur.

§. 8. Alij vota sermonesq; epithalamici partim carmine, partim cantu musico foeminarum aut symphonistarum ordinariorum efferuntur. *Olau M. hist. Septentr. l. 4. cap 7.* Lappo- num morem ita describit : *Lappones, nuptiis per ignem celebratis, Sponsam armelinis pellibus ac zebellinis ornatam, rangifero, quasi domestico ceruo (amicorum insigni catervâ juxta germinis excellentiam, comitatam) agnati imponunt : atq; ita in thalamum vel tentoria, mediantibus tripudiis fecunditatem & sanitatem precantes, inducunt* Sveonum verò & Gothorum ritus epithalamicos Orationemq; sic refert : *Sunt & multa ceremonia circa tori introitum, ut parochialis Sacerdos, si adsit, vel clericus canat hymnum, Veni creator Spiritus : cum invocatione divini auxilij, ut novis conjugibus prospera cuncta desuper elargiatur. Præterea mos est, ut aliquot delicatiora fercula in lecto sedentibus nuptis exhibean-*

bibeantur, ut iis cum astantibus brevi morâ vescantur : tandemq; valedicentibus amicis suâ pace fruuntur, l. 14. hist. septentr. cap 5.

§. 9. *Definitio* Nuptialis Orationis loco *Generis* remoti habet Orationem; loco proximi, laudativam : nulla enim oratio dicitur quæ non Sponsi vel Sponsæ aliorumq; laudes contineat. *Differentiam* absolvunt *α.* Sponsa jam Sponsusq; declarati & facti. *β.* publica nuptiarum solemnitas. *γ.* Convivæ : quippe hi invitantur : in eorum præsentia peroratur : iidem quoq; facundè gratulantur.

§. 10. *Efficiens* Orationis hujus seu subjectum, pro consuetudinis ratione, est vel *immediatum* Sponsus, Sponsa, parentes, convivæ pro & per se quisq; dicentes : quod vulgò, non autem illustribus personis, familiare est. Vel *mediatum* : & est, cuicumq; id demandatum ab utraq; parte est negotii. *Finis & Materia* coincidunt, uti petere Sponsam, invitare Convivas, salutare, tradere Sponsam, gratias agere, &c.

§. 11. *Forma* eadem, quæ Sponsalium; nisi quod assurgere in gravitatem nonnihil debeat oratio Nuptialis. Extrinseca ejus forma est, vel soluta, seu prosa; vel ligata dictio ac stylus: uti sunt carmina, hymnus, pæana.

§. 12. *Adjuncta* Orationis Nuptialis sunt circumstantiæ. 1. *Loci*, qui vel *privata* domus Sponsalium est; vel *publica* Nuptiarum, ut Templâ, Collegia Academica, domus ceremoniarum festivitatumq;. *M. Z. Boxhornius* Celsissimo Auraico Principi Gwilielmo, cum Ser. p. m. Caroli I. Regis Angliæ filiam *MARIAM*, Anno 1641. d. 18. Jun. uxorem duceret, Lugduni Batav. nuptialem Panegyricum dixit. Illustris. Dux Ossolinsky, Oratione salutoria nuptiali, Reginalem Uladislai IV. Regis Poloniæ Sponsam Ludovicam Mariam Gonzagam Warlaviæ in templo Collegiato excepit. 2. *Tempus*. Aliquæ enim Orationes habentur in sponsalibus : aliquæ in nuptiis ante & post Sacram copulam : quædam etiam ad thalamum. 3. *Modus*, qui, pro gentium diversitate, diversus quoq; est.

SECTIO III.

Continens Axiomata, quæ & ad Orationem & Oratorem faciunt.

I. Sponsales Nuptialesq; Orationes, uti antiquissimæ, ita præstantissimæ sunt.

Antiquitatem earum probatam abundè jam dedimus. Præstantiam primus & Parens & proxeneta T. O. M. DEUS, qui, ut sua Adamo quoq; esset Heva, in SS. Trinitatis concilio intercessit, oratione Majestatem dicente: *Non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei adiutorium* &c. Gen. 2:18. Filius etiam DEI suam Ecclesiæ *Φιλανθρωπίαν* contestaturus, desponsaturum eam sibi, Hose. 2:19, 20. dicit. Tacemus jam SS. V. T. Patres, Gen. 24. & 29. Tob. 7. Reges, 1. Sam. 25. Præteribimus Christiani nominis Imperatores, Reges, Principes, quibus orationes istæ fuerunt & sunt ad huc in deliciis: quia Divini exempli majestas omnes dignitatis probationisquè numeros absolvit.

II. Orationes Nuptiales doctâ se commendant brevitate.

Concisas eas brevesq; volumus; nervosæ tamen & acutæ sunt. Ambages hinc exulent: quia 1. invitatis diu standi attendendiq; necessitatem imponunt, molestiamq; creant. 2. Nuptiales ritus & gaudia suo defraudantur tempore & occasione. Augustæ ergo verbis, & augustæ rebus sint, suæq; doctâ tamen, prolixitate gaudeant. Egregias enim res breviter ac præclare protulisse, prolixitas maxima est, *Erasm. Rotterod. in lib. de conscrib. Epist.*

III. Verba rebus, & res personis, aliisq; circumstantiis, probè convenient.

Ergo 1. minime huc obscœna, horrida atq; atrocia verba faciunt. Neq; 2. authores cuiquam sumus peroranti, argumenta à contrariis hic loci frequentare: præsertim, ubi virtutes alterutrius sponforum laudantur. v. g. in laudatione Sponsæ, illos refutare operosè, qui mulierem malam herbam: dulce malum: malum necessarium & maximum, cum Protagora: grave onus, cum Lycurgo: non-hominem, cum tenebrione quodam appellarunt. Jocis ista forsitan privatis, idque non nisi familiare & mo-

& modicè conceduntur. Quod si fecerit Orator: α. Convivas in cachinnum aget. β. Animos in lætitiā compositos turbabit. γ. Castas innoxiasq; Sponsæ, Virginum aliarumq; Matronarum aures offendet, facies rubore perfundet, pudoremq; omnium constuprabit. δ. Ipse met meritis tandè culpæ istius dabit pœnas, postquam, loco taciti applausus, apertum convivarum odium atq; execrationem retulerit. 3. Porro, ad concordiam mutuūq; amorem sponfos adhortari, si quando visum fuerit: faciat id oblique potius quàm directè, v. g. hoc modo: *Sicuti vos sibi virtutis in illis prolem educavit: ita amor & concordia certissima vos sui specimina proponere Orbi hodie volunt*, &c. Caveat autem sibi partim à severâ iterataq; virtutum inculcatione, aliorumq; malè convenientium conjugum reprehensione. Abstineat omninò hic ab elenchis. α. quia, Nuptiarum se intimatorem, & nò Sponforum aut convivarum præceptorem, scire & cogitare debet. β. partes Ecclesiasticis, tam alieno tempore, sibi sumit. γ. Si vitia hic loci detestatus fueris; contrà virtutes acrius urseris: tum certè, jam jam inaugurandos conjuges, aut virtutibus, quas adeo urges, carere; aut vitiis eos obnoxios; aut alieno ac discordi animo inire conjugium, præsumptio auditorum erit. 4. Ut omnia concordie dicantur ordine, Orator noster nihil dicet aut vovebit Sponsis boni, quàm quod conferendum eis proximè est. v. g. in sponsali sermone unanimem DEI, parentum, amicorumq; favorem & assensum, quò sui voti particeps fieri ocyus possit. Postea in Nuptiis Sponsis salutatis felix Conjugii auspiciū, Divinam Sacerdotisq; manum apprecetur. Tandem, reductis domum Magni istius Ordinis (matrimonialis) dignitatem gratuletur, benedictionem DEI bonaq; Jerusalem perennatura vovebit. Omnia κατὰ τὴν. Sed hoc consilium nostrum, haud præceptum est.

IV. Oratorem hic loci & Orationis stylo & animo assurgere addecebit.

Gaudete cum gaudentibus, monet Spiritus S. Rom. 12:15. In lætitiâ autem gravitate temperatam ire totus Noster debet. Sponsi Sponsæq; legatus est. Legatus autem legantis se Domini animum exprimere & auctoritatem debet. Sed circumspèctum

eum volumus. Si enim Sponsi vice defungitur; gravitatem ejus personæ convenientem lætitiāq; induere: si à Sponsæ partibus stat, ejusdem modestiam ac verecundiam cum lætitia accuratè mixtam referre debet. Aliàs, Oratorem nostrum assurgere hîc loci, præsentisq; esse animi, consultum est. Debet quippe 1. proximum se cognatione adeoq; amicitia Sponsis, adeoq; potiore credere; quamvis nec de jure, nec de facto talis existat. Haud caret successu consilium hocce in tremulo adhuc Eloquentiæ tam sacræ, quàm profanæ tyrone, quem ad comparandam sibi animi præsentiam, monere solemus: ne ullius auditoris præsentiam exhorrescat: doctorem se Doctorum in suggestu credat, & id genus alia monita. 2. Nuprias celebrari, sua quoq; interesse, ostendat. 3. Nullus Orator talis non honoratus hactenus abiit, auctoritatem facundiæq; laudem lucratus, inq; magno honore atq; existimatione habitus. 4. Neq; tamen Stentorem clamosumq; nostrum volumus propterea; cū gravissimi & facundissimi quiq; loci rationem auditorumq; semper habeant. Aliàs audiet illud Demosthenis *apud Stobæum, Serm. 4.* qui *θεωσάμενος πᾶσα δημαγωγὸν αὐτοῦ μέγα βεβώντα, ἐφη. αἰδῶ. εἴ τι μέγα εὔδει τὸ δεῖν μέγα.*

SECTIO. IV.

Continens Quæstiones.

Q. 1. An Sponsales Nuptialesq; Orationes, ad Demonstrativum, an ad Deliberativum Genus pertineant?

De Nuptialibus nullum est dubium, quin Demonstrativæ sint formæ. De Sponsalibus contrarium statui posse videtur. Dubitationis ratio est: quia Sponsam petere nihil sit aliud quàm certis argumentis Parentibus persuadere, ut sibi filiam eloquent despondeantq; Nos melioris cognitionis gratiā distingvimus inter Orationis sponsalis materiam & formam. *Materia* sunt quidem τὸ persuadere parentib; filiæ desponsationem, nec non argumenta ad fidem faciendam assensumq; impetrandum; *Forma* tamen, seu ratio, quâ Oratio illa tractatur, est laudativa, partim Conjugij, partim petentis filiam proci; Virginis item ejusq; dorum ac Familiæ, &c. *Matth. Dresser in Rhetor. tit. de Epitha-*

Epithalamis. Formam autem istam denominare aliquando Orationem, docet & Isocratis Panegyricus ad Græcos. pro suscipienda contra barbaros expeditione, habitus. Ergo formaliter sponsalis oratio Demonstrativa est.

Q. 2. An Orationes istæ sint necessariae?

R. Non absolute, sed ex hypothesi consuetudinis. Mirum autem est, nihil talium Orationum à Cicerone, F. Quintiliano aliisq; veterum relictum nobis esse; cum tamen sponsalia nuptiasq; non sine ritibus ad superstitionem usq; celebrarent, & consequenter Orationibus novos conjuges prosequerentur. Recentiores etiam pauci admodum paucillumq; hac de re scripserunt. Matth. Dresserus unicum duntaxat proposuit Epithalamium, cum Psalmo 128. in suâ Rhetoricâ. *Vossius in Instit.* suis vix mentionem quidem earum facit. Qui, aut quid in culpâ fuerit, totus ambigo. Non sanè earundem defecto aut infrequentia: quia frequentissimæ ubiq; in Galliis, Italia, Hispania (*vid. Gramondum Hist. Gallic.*) sunt. In Belgio, & Fœderato quidem, non usquequaque. Pace Lectoris, liceat nobis aliquantulum extra Quæstionis oleas evagari nuptialesq; eorum ritus paucis hic attingere. Orationes nullæ ferè in sponsalibus aut Nuptiis eorum, paucis Nobilium exceptis, habentur; sed colloquiis tantum mutoq; ac silente ritu omnia ferè geruntur. Sponsi vel sunt religionis patriæ (Reformatæ) vel Augustanæ Confessionis: item Pontificij, Anabaptistæ, Arminiani, Manistæ, &c. Patriæ religionis Sponsi in templo, concione finitâ copulantur. Diverse verò, uti sunt nostrates Inv. Aug. Conf. addicti, Pontificij, Anabaptistæ, &c. publicè in Curia & in senatu à publico Notario sive Secretario, brevissimâ quadam formulâ, in cōjuges pronuntiantur. Quanquam haud diffitear, nobiliorib; ditioribusq; nostratium indulgeri aliquid, eosq;, multâ aliquot florenorum spontè prænumeratâ, sacerdotalem in Templo impetrare aliquando initiationem. Sponsus autem, quicunq; is fuerit, duobus tantum consanguineis, ut & Sponsa duabus fœminis comitati, in curiam vel templum, initiandi ducuntur, indeq; domum redeunt. Cæterum vulgus vagantesq; pueri edusq; licentiæ ac petulantia prorumpunt, ut vel ipsum Sponsum Sponsamq; vexa-

vexationibus ac titulis parum decoris imò cassæ nucis jactu aliisq; effrænis luxuriæ objectis impetant, confertim vociferantes prosequantur, adeoq; exagitant, ut non sine animi ægritudine ac pudore in foro procedere, immò accelerare cogantur. A quâ turbâ Sponsi adeo sibi timent, ut honores matrimonij in templo petiti, à binis eò licitorib; altero præeunte, altero subsequente, ambobus autem vulgi impetum à Sponsis baculo prohibentibus, ducantur alternatim & reducantur. Ad Nuptiarum locum ubi ventum est, obseratis foribus nuces, amygdala, faccarum, coronæ aliq; in vulgus, è superiori domus pavimento, sparguntur. Sed Orationum seu congratulationum nihil auditur & non nisi dextræ porrectione votum novis conjugibus contestari invitati solent. Hæc de Belgarum ritu. Poloni autem & Galli, quantum in Orationibus istis dicendis luxurient, ex Oratore Polonico Cracoviæ impresso, nec non ex Illustriss. Ducis Ossolinsky Orationibus Latinis Gramondo, & ex Oratore Extempor. abunde constat.

Q. 3. Vtrum longæ, an verò breviores esse Nuptiales Orationes debeant?

Distingvimus 1. inter Sponsales & Nuptiales: has breviores, illas prolixiores esse concedimus. 2. Dist. inter prolixitatem & breviter *materiam*, lineamentorum ac verborum Orationis: & *formalem*, rerum & argumentorum. Etiam in septem linearum Oratiunculâ prolixitas esse docta grataq; potest. Contrâ, brevitatis maxima atq; ingrata in Oratione prolixa est, quando illa ob sermonis ineptiam rerumq; pauperiem nauseam tædiumq; in auditoribus movet. Sicuti ergo non est longa Oratio, in quâ præter argumenti dispendium nihil adimere queas: ita brevitatem præstare non est paucis perorare, sed maximarum rerum atq; elegantiarum vim, quoad fieri licet, conferre. *Vide Sect. 3. axiom. 2.* Hûc autem facit potissimum, quod Lipsius, Instit. Epist. cap. ult. periodo ultimâ, effatus est: *Felix, inquit, cui doctor hic aliquis aut monitor amicus.* At felicitati eorum nos addemus, qui styli majestatem nobiscum ab Augusto nostro Præceptore edificare, si non omnino possunt, conantur tamen, quantum in ipsis est. Habemus autem doctorem, eundemq; admiramur, immo

immò astris ipsis inferimus, & tamen infelices semper sumus. Causam non dicimus, ne pudorem nostrum prodamus.

Q. 4. Vtrum Sponsus ipse dicere Orationem pro se possit?

Distingvimus 1. inter leges Gentium non scriptas, seu consuetudines. 2. Dist. inter status *principes*, & de his quæstionem negamus: & *inferiores*, quos pro se dicere, ubi moris est, posse & debere statuimus. *Obj.* Ita pro se dicens se ipsum laudabit. *R.* Ergo & Tobias junior seipsum Saræ parentibus laudavit, cum Sponsalem pro se faceret petitionem? Raphael hoc præstitit. *Instant.* Si imperitus & male feriatu fuerit proci? *R.* 1. Nos de talibus ne cogitavimus quidem, qui sunt ex plebe incomposita; sed de Sponsis, in Civitate sub legibus ac moribus ingenuis degentibus, jam quærimus. 2. Etiam si Mopsus fuerit, Nisam tamen, & non se, laudaverit. Profecto id, qui faceret, se Nisam, illam Mopsus diceret. Proci, sponsam & conciliatur sibi & impetraturus, non tam se, quàm illam laudare solet. Nulla ergo consequentiâ est. 3. Uti malè morati sunt Civitatis excrementa; ita eorundem vitia inter accidentia recensemus.

Q. 5. Vtrum Oratio Nuptialis legendo etiam dici possit?

Dist. 1. inter Panegyricum, & sic affirmamus: & inter Oratiunculam Nuptialem, quod simpliciter negamus. Sanè, si legendo sponsam exciperemus, non Oratoris, sed præconis vicem defunctos nos ostenderemus. *Egregiam verò laudem*, ut ait Comicus, & *spolia domum referremus amplissima.* Ergo memoriter.

Q. 6. An liceat in Nuptialibus Orationibus elenchum adhibere?

Aliena hîc isti praxi sunt omnia: omnes circumstantiæ. Nèmini authores sumus, ut id audeat. Nihilominus disting. inter obliquam aliqualem vitiorum alienorum mentionem, quam vix etiam concedimus: & directam reprehensionem, quam simpliciter hic loci detestamur. Ratio: quia, ubi vitia taxantur, vitiosos adesse auditores præsumitur. Ast, quid hæc in Nuptiis præsumtio? quid concio?

Q. 7. An joculari in Oratione Nuptiali saltem modicè liceat?

Dist.

Diff. 1. inter Orationem & colloquium familiare. A priori jocōs abesse salesq; volumus; posterius amicitia cum Tullio damus; si tamen honestate verbisq; decentibus diluatur. 2. Si moralium attingere hic doctrinam licet, distinguimus inter dies Nuptiarum, in quibus amici recens partam Sponsorum dignitatem nō exagitare, sed augere confirmareq; debent: & inter dies (dicam ita) postnuptiales. De Oratione itaq; negamus. α. quia status Matrimonialis est dignitatis, non luxuriæ nomen: dies quoq; illa, dies sancti ac honorabilis operis est. β. quia Sanctus hic ordo joculis istis prostituitur indigneq; habetur. γ. quia circa tam divina & serium esse Oratorem gravemq; oportet.

Q. 8. Vtrum in Orat. Nuptialibus perorandis gestus adhibendi sunt?

In reliquis grandioribus modicè tantum usurpandi conceduntur; hic loci verò non item. Ratio: 1. quia brevissimæ modestissimæq; sunt. 2. Dato uno gestuum, darentur & reliqui. Atqui cor Sponsi amore vulneratum, Sponsæ humilitatem, imò personas etiam monstrare digito vel manu decorum minus est. Potius ergo ab iis abstinendum. Excipimus hic salatorias, quæ sub dio fiunt: nec non munerum, oblatorias, (ubi Orator coronam, vel annulum, aureum & argenteum vas, arthæ Sponsalis vel muneris loco exhibet) quæ gestus aliquos, sed paucissimos, admittere videntur.

Q. 9. Quomodo filia Parens siue tutor, ad proci eam ambientis ac expetentis orationem negativè respondere: siue, qualis esse Orationis ejus dispositio debeat?

Rhadau Jesuita facundissimus, in *Orat. Extempor. part. II. cap. 2. quæst. 3.* praxin negativam ita instituit, ut in responsoria negativæq; Oratione, & quidem mox, in Exordio significetur petenti repulsa, & postea demum Dn. petens laudetur ipsiq; pro benevolentia gratiæ aguntur. Sed, si olitori suum quoq; dare suffragium aliquando licet, pace Clarissimi istius Viri, existimamus, melius disponi tam ingratam posse Orationem: si primum lætitiæ suam, ob tantum sibi præstitum honorem ac benevolentiam singularem, Respondens pater testetur. Deinde in laudes Petentis sese effundat. Posthæc, suum erga eum speriat promptissimum animum; & gratificari se illi quidem velle, nisi &c.

nisi &c. (rationes adducuntur prægnantes.) Deniq; ne se pristina suâ gratiâ excidere ideo patiat, roget. Rhadavi dispositio nobis minimè satisfacit. Dicimus ergo, in Exordio negativam responsionem neq; aperte & directè, neq; indirectè s. per insinuationem fieri primò debere: 1. quia petens, in ipso statim exordio offensus, laudum suarum non curat ebuccinationem. 2. Sed primò collaudatus, atq; ita in spem erectus petens, si leniter ad negationem descendat respondens, non ita offendetur: fata quippe, & non filia parentes sibi tam benevolos, dicunt ob stare censebit. 3. Cautius majoriq; cū prudentiæ laude qui negationes ejusmodi in Oratione non exprimunt, sed, negationis loco, dilationem prætendunt, deliberationem insinuant, privatimq; potius & per alium repulsam ei nuntiari curant.

SECTIO V.
DE ORATIONIBUS FUNEBRIBUS.

§. 1. Quemadmodum Sponso idem thalamus vitæ mortisq; locus aliquando est: ita unâ eademq; Disputatione hymenæum nuptiasq; cantare, necessitate ita poscente, haud erit absonum.

§. 2. *Est autem Oratio Funebri nihil aliud, quàm Sermo, in quo persona defuncta laudatur.* In quâ definitione differentiam vox, *defuncta*, quæ & laudationis modum comprehendit, sola absolvit.

§. 3. *Causa efficiens seu subjectum* parentationis est, vel immediatum vel mediatum. *Immediatum*, est Consanguineus, qui suos post fata laudat. Hujus rei exempla in Svetonio extant, & infra Sect. 7. quæst. 2. à nobis tractantur. Ex relatione fidei probatæ, Viri Nobilissimi atq; Strenui D. HENRICI HORSTII, *Præpos. DD. Ordinum General. Hollandiæ & West-Frisiæ* exercitūs Indici, in utraq; India, Capitanei emeriti, fautoris nostri gratiosissimi, ista habemus. Qui Dominus, cū non ita pridem unâ simul navi in Oceano Germanico veheremur, tadii temporis fallendi gratiâ, hæc nō sine asseveratione nobis communicavit. *In Guinea*, inquit, *aurea*, in provincia *meditullio* (non autem in ipsis, qui à Christianis tenentur, finibus) barbari gentiles demortui, more consueo, ad locum fossa efferruntur. Quò ubi perventum est, mortuus (à Damone informatus) sese, ad instar viventis, humo attollit: firmatis pedibus consistit, circum circa vertit: adstantibus nutu vel inclinatione capitis & corporis, pro factis sibi supremis, gratias agit. Quò facto, iterum exanimatus sponte in fossam concidit, terraq; obruitur. Hæc vir optimus.

mus. *Mediatum* subiectum sunt vel amici, vel alij, quibus nomine oratorum verba ad adstantes facere demandatur.

§. 4. Orationis *materia* est funus: cuius 1. ratione distinguitur in Orationem *funeris* seu funerationis *presens*: & *funeris praeteriti*, quæ, aliquanto post inferias tempore, in laudem personæ alicujus Illustris habetur.

§. 5. *Forma* ejus est partim intrinseca, partim extrinseca est. 1. *Ratione extrinseca forma* Oratio funebris alia est *Scripta* seu intimatoria funeris, & dicitur *Programma* fun. alia *dicta*. Dicitur autem solet a. publice seu in *πανεγύγῃ*, in quâ personæ illustri suprema pro meritis in Rempub. solemniter & prolixè persolvuntur: & appellatur *Panegyricus dictus*. Item in Rotâ ferali ad defuncti condimentum: estq; brevior, vulgo *Parentatio minor*. β. *Privatim* dici solent Orationes consolatorix in privatis orphanorum seu viduorum ædibus. Chineses (& hoc à supra laudato D. Horstio habemus) post amici defuncti sepulturam, septimanatim die certo, cibos super mortui condimentum ponunt, hisce eum alloquentes verbis: *edejam & bibo, in ultimo fine tuo*. Nautæ verò Batavi, inibi commorantes furtim cibos illos devorant, Dæmoni an homini consecrati sint, parum curantes.

§. 6. Differunt ergo hoc modo. *Programma* est oratio brevis scripta, quâ funus intimatur functusq; laudatur, Excell. *Augustus Buchnerus, Dissert. Acad. Vol. 2. part. 1. Diss. 7.* in initio. *Qua duo*, exorditur Præceptor, *expedienda nobis in presenti sunt, in dictio funeris & funeri laudatio; eorum alterum paucis quidem confici poterat, alterum non nisi luculentam ac copiosam orationem requirebat.* PANEGYRICUS seu parentatio major, est oratio prolixè ac solemniter laudes personæ persequens. *Parentatio minor* est oratio, quâ defunctum in ferali Rotâ ad condimentum breviter laudamus, orphanos viduosq; consolamur, & pro supremis persolutis gratias agimus. ad *Parentare* a. venit à persolutione justorum parentibus debitâ. Olim, avorum majorumq; manibus sacrificare in consuetudo erat. Quæ antiquorum parentatio vel cæde hostium, uti *Aug. Casar. Octavianus C. Julio Casari, Svet. in Octav. Alexander M. Dario Regi cæde Bessi &c. Q. Curt. l. 6.* vel oratione pro hostris, uti *Cajus Julius Casar* aviam suam *Svet. l. c.* alijsq; solemnitatibus, ex quibus peculiaris illa erat, quam Romulus ad expiandos Remi fratris manes per triduum instituit, vocariq; *Le-muria*, quasi Remuria s. parentalia jussit. Germanis *eine Abdanckung* dicitur.

§. 7. Sy-

§. 7. *Synonymum* Funebris Orationis fuerunt olim *Nenia*. Quod nomen origine Græcum dicitur à *νεῖαρον* seu *νέανν*, auctore Festo, id est ultimum: ita dictum, vel ratione ultimi carminis mortuo decantati; vel quod *νέανν* sit chordarum ultima soni acutioris. Canebatur autem ultimum hoc carmen mortuis, laudandi eos gratiâ, ad tibiam ante cadaver sepultum. Romani cum lamentatione instituebant carmina ejusmodi, de quibus *Cic. de leg. 2.* ita: honoratorum virorum laudes in concione memortant, easq; etiam ad cantus & ad tibicinem prosequuntur, cui nomen est *Nenia*: quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant. Aliàs ineptum inconditumq; foeminarum conductitiarum carmen, quæ, ait *Naso ut flerent, oculos erudière suos*. Dicitur quoq; *ἐμνηδίων*, seu *μνηδία*; sed improprie ac nimis latè. De Lapponibus ita *Olaus M. Hist. Sept. l. 4 c. 8.* refert: eos puerperia luctu, funeraq; festivo cantu ut plurimum celebrare.

§. 8. *Forma* Orationis funebris *intrinseca* consistit in ejusdem dispositione. Programmatis Dispositio communis est ista: 1. *Exordium*, quod omitti aliquando solet. 2. *Narratio*: ubi personæ a. natalia. β. vitæ genus & facta. γ. Mortis genus, adeoq; mors. δ. Funus cum suis circumstantiis. 3. *Epilogus*, in quo ad justa mortuo reddenda invitamus, &c.

§. 9. Quia autem certus, disponendi vel programma vel etiam Parentationem minorem, non datur modus; & in Exordio plerumq; elaborando ita aliquando hæreamus, ut, unde Orationem auspicari debeamus, non satis constet: locumq; hic habeat, quod Cicero dixit, *Exordij inventionem esse difficilissimam*: æquum consultumq; duximus aliquot exordiorum formas, ex Dissertationibus Academicis Augustæ Nostræ Eloquentiæ atq; Præceptoris, BUCHNERI, Vol. II. part. I. excerptas apponere: maximè enim ad Parentales Orationes componendas faciunt.

§. 10. *Exordium* ergo desumi potest,

I. *A personis*. Et quidem vel a. suâ propriâ, ægrè ferente onus tam triste, tamq; frequens sibi imponi, *Diss. I & 154 Erasmus Schmidius p. m. in Paneg. Baldvini*. Dionis scilicet exemplo, (*Orat. 39.*) à consuetudinis reprehensione, quâ dicere jubentur, quos flere magis conveniat, atq; eloquentia ab iis exigitur, quibus recens dolor ingenium ac facundiam omnem eripit. β. *vel defuncti*, *Diss. 177. 185. &c. γ. vel predecessorum*, qui paullò ante mortui sunt, eorumq; frequentia, *Diss. 23. 34. 171. 133. 183.*

II. *A qualitatibus, dotibus & officio Personarum*. v. g. Si Professor vel Decanus: ab officij dignitate meritisq; personæ, *Diss. 136.* Si Scholasticus: à Scholis & literis, *Diss. 16. 29.* Si Musicus: à concentu harmonico, *Diss. 190.* Si Acad. minister; à ritu & officio, *Diss. 129.* Si Architectus vel machinarius: à

Mathesi & Pyrobolica arte, *Diss.* 138. Si aurifaber : à gemmis & auro, quod redimere à morte neminem queant, *Diss.* 128. &c. Si peregrinus : à peregrinatione *Diss.* 36. Si senex : ab ætate, *Diss.* 31. &c. Si autem muliebris Sexus fuerit persona : ab infirmitate Sexus, *Diss.* 148. à controversiæ, de ipsarum humanitate, detestatione, *Diss.* 107. ab ipsarum dotibus, *Diss.* 185. &c. In genere : à structurâ corporis humani habitudineq;, *Diss.* 120.

III. Ab expostulatione cum morbo, *Diss.* 2. & calamitatibus *Diss.* 108. 166. 182.

IV. A lamentis, *Diss.* 28. 32. 35. 182.

V. A vita inconstantia, *Diss.* 10. & vanitate *Diss.* 19. NB. Aliquando à fati fortunæq; vanitate eleganter exorditur; subiectum verò, in quo se fata exercuerant, subijcitur, *Diss.* 10. 124. 126. Interdum subiectum fati, calamitatis mortiq; præponitur, fati autem vanitas artificiosè subijcitur *Diss.* 26. 132.

VI. A circumstantia temporis, *Diss.* 24. 65. 75. 184.

VII. A doctrinâ morali, *Diss.* 22. 27. 30. 124. 126. &c.

VIII. Ab historica relatione, *Diss.* 13. 167. vel fabulâ, *Diss.* 125. 188.

IX. A simili, *Diss.* 3. 8. 40. 134. 161.

X. A sententia Tragicâ, *Diss.* 1. 5. 152. 156. *lata*, *Diss.* 42. 149. ducitur autem hoc à contrarijs collaudativâ, *Diss.* 4. NB. Observandum hîc Præceptoris, in sententijs Exordium intexendis, artificium. Dissertationis 135. Exordium est dicti Mosis Psal. 90. v. 8. *Dies, seu anni nostri septuaginta*, &c. Non tamen ab ipsis sacra sententiæ verbis (sicuti *Diss.* III. fecit) sed à mortuæ personæ intimatione incipit, & sic leviter ad ipsum descendit Mosis effatum. Item : *pestis tempore*, locus 2. Sam. 24. 14. *Melius est incidere in manus Domini*, Exordium constituit Dissertationis (liceat ita loqui) virtualiter ac implicitum, non verbaliter seu explicitum. verbale enim sic habet : *Fiat voluptas tua Domine*, &c. *Diss.* 153.

XI. A voto, *Diss.* 150. 166.

XII. Ab ipsa mortis ac defuncti intimatione, *Diss.* 15. 21. 135.

XIII. Vel omnino omittitur, *Diss.* 18. 20. &c.

§. II. In Propositionibus loco personæ aliquando καὶ ἑξῆς dicimus, nos Virtutem, aut exemplum pietatis eruditionisq; proposituros tractaturosq;, *Buchn.* *Diss.* 145. *Erasmus Schmid.* *Orat.* *Baldvin.*

§. 12. Epilogum adornari posse existimamus 1. vel mortui congratulatione, ob calamitates laboresq; superatos. 2. deploratione defuncti, publicæq; iacturæ. 3. Adhortatione ad parandum se foro mortiq;, *Buchn.* *Vol.* 2. *part.* 1. *Diss.* 127. item ad defuncti virtutum imitationem. 4. Voto precationeq; ad Deum I. c. *Diss.* 27. 35. 45. 153. 5. Salutatione manium valedictioneq; *Buchn.* in *Paneg.* *Sennerii.*

Et hæc de forma Parentalis Orationis obiter.

SE.

SECTIO VI.

Continens Axiomata.

I. Omnis Parentalis Orationis materia est narratio & laudes defuncti.

Ita tamen, ut quamvis virtutem ac meritum iactare dolorq; subsequatur : virtutes enim materia hic esse luctus debent, eo quod carendum iis est.

II. Stylus hic gravior paullò & sententiosus, ad affectus jam movendos, jam componendos accommodatus, esto.

III. Orator etiam sit maximè gravis, & pro circumstantium se auditorum qualitate dispositus.

Qualis auditor, talis orator, talis & oratio est. Non omnibus omnia convenire, tot humanorum capitum discidium morumq; varietas docet. Ergo noster in luctus & iacturæ narratione atq; amplificatione, accusator : in iacturæ cum Dei decreto collatione, Judex ac informator : in consolatione, imperator esto. Imperabit autem afflicto animo consolationem nervosis sententijsq; gravissimis refertissimis rationibus, quales illæ sunt : *nasci non debuit, quem mori piget. Qui se mortalem dolet, hominem se dolet. Abiit, non obiit Mors est melior fors*, &c.

IV. Prius lacrimas doloremq; moveat : deinde lacrimis absterlis, & affectus sedet, & in spem alterius boni erigat.

SECTIO VII.

Continens Quæstiones.

Q. Vtrum Ethnicorum figmenta phrasæq; Gentilium superstitiosa adhiberi in parentali oratione allegariq; debeant?

Negamus : quia Christiani cum simus, omnibusq; paganorum superstitionibus renuntiaverimus, easdem ex orco quasi revocare atq; usurpare, indignum est. v.g. phrasæ hæcæ : *alterum pedem in cymbâ Charontis habere : de naulo exsolvendo cogitare : exosum Patris jam jam periclitari*, &c. Melius sanè ita : *sepe jam in viam ad Christi Abrahamq; complexus sese accingere*, vel : *cujus*

eius pedes, jam labascunt, fugam ad Christum meditantur; descendunt ad mortem, ut per eam ad Christum ascendant, &c. Pia sunt, quæ celeberrimus olim Græcarum lit. & Mathem. in hac Acad. Professor Pub. *Erasmus Schmidt*, in sua quam *p.m.D. Balduino* dixit, Oratione funebri in Exordio habet: *Quid enim mihi, inquit, cum illa vel illo? qui ex verbo divinius revelatō meliorem viam ad alteram illam & beatam vitam, melioresq; Duces novi. Quam & quos qui ignorant, illi sibi vel cymbas ad inferos conducant; vel Pontifices, ut pontes Stygi, Acheronti, Cocyro & Phlegetonti infestant, pecuniis placent.* Distingvimus tamen 1. inter orationem prosam & ligatam. 2. inter earumdem mentionem allegativam; & usurpationem positivam, quam negamus.

Q. 2. Vtrum suis parentare aliquis possit?

Dubitationis rationem dat, non mos tantum aliquorum populorum, apud quos pater filio, consanguineus alteri suprema persolvit; sed maximè exempla antiqua Julij Cæsaris, Augusti Octaviani, Tiberij, &c. qui parentes & consanguineos impuberes adhuc pro nostris laudarunt, Svet. l.c. Nobis hodie negativa arridet. 1. quia domestica mala tam graviter afficiunt, ut eorum asperitatem eloqui nō detur. Exempla hic testimoniaq; adferremus cumulatissimè, ni chartæ angustia nos premeret. Periculum ergo est, ne Oratori domestico lachrymæ singultusq; imponant silentium. 2. Quia parentatio etiam, immò potissimum, laudes functi describit. Jam, suos laudare oratorem, modestum minimè esset. 3. Quia propter mos iste ubiq; ferè jam exolevit.

Q. 3. Vtrum parentatori, flere aliquando, conveniat?

Affirmativam execrantur Stoici, ex rationibus hisce α. quia vitium muliebri impotentia est. *De quibus Ovid. 3. de arte amandi:*

Quò non ars penetrat? discunt lacrymare decenter:

Quoq; volunt plorant tempore, quoq; modo.

Vir autem prudens in omnem induratus esse debet patientiam. β. quia recepta virorum autoritas cum ipsis lacrimis liquefit ac diffluit. γ. Consolari mœstos, & non contristare potius debet. Nos autem censorum istorum rigiditati non subscribentes, cum, bonos quoq; viros lacrimari, sapientissimi quiq; veterum docuere, distingvimus 1. inter lacrimationem effusam, immoderatam, & aliqualem tantum illacrymationem, quam concedimus.

2. Dist. inter lacrymas & singultus: illæ forsitan, hi minimè decebunt.

3. Authores tamen hodie nemini sumus, malis vel illacrymari saltem. Sed hæc in medio relinquimus.



451166 III.

Rohleder Zacharias

In Honorem Benedicti Seminis Collegii Oratorii Disputatio III. De Sponsalibus, Nuptialibus ac Funebribus Orationibus: Quam [...] ad diem 9. Julij. Anni Salvatoris M.DC. LVI. [...] Praeside M. Johanne Herbinio, publicae Eruditorum disquisitioni sistit, Respondens Zacharias Rohleder [...].

Wittebergae, Literis exscribebat Johannes Röhnerus, Academ. Typogr.,
[1656]. 4°

Wrocław BU 387327